

# De natura physicae proemotionis

Autor(en): **Prado, Norbertus del**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **16 (1902)**

PDF erstellt am: **02.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762109>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

völlig wirkungslos; denn gerade die Erfahrung zeigt uns aktuales Denken und Wollen nur in Verbindung nicht allein mit Bewußtsein, sondern mit Selbstbewußtsein, woraus zu schliessen ist, daß jenes „absolute“ Denken und Wollen, das wirkender Grund der Welt und ihrer Ordnung ist, nicht anders denn als selbstbewußte und persönliche Intelligenz gedacht werden darf.



## DE NATURA PHYSICAE PRAEMOTIONIS.

Scriptis

P. NORBERTUS DEL PRADO, Ord. Praed.

### I.

1. Doctrinam traditam circa influxum Dei in creaturas rationales tam in ordine naturae, quam in ordine gratiae, sic in compendium redegit Divus Thomas 2. ad Corinth. cap. 3. lectione prima, ubi explanans illa verba Apostoli: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, scribit:

„In quolibet processu operis primo est assensus, qui fit cogitando; deinde collatio per verbum; et postmodum impletio per opus. Unde si nec cogitare quis a se habet, sed a Deo; non est dubium, quod non solum perfectio operis boni est a Deo, sed etiam inchoatio. Ad Philipp. cap. 1. v. 6: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* — Et hoc est contra Pelagianos dicentes, quod inchoatio boni operis est ex nobis, sed perfectio est a Deo. Isaiae cap. 26. v. 12: *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.*“

„Sed ex hoc ne videatur tollere libertatem arbitrii, dicit: A nobis, quasi ex nobis. Quasi dicat: Possum quidem aliquid facere, quod est liberi arbitrii; sed hoc, quod facio, non est ex me, sed a Deo, qui hoc ipsum posse confert; ut sic et libertatem hominis defendat, cum dicit: *a nobis*, . . . et divinam gratiam commendat, dum dicit: *quasi ex nobis*, scilicet procedat, sed a Deo.“

„Hoc etiam Philosophus vult, quod numquam homo per liberum arbitrium potest quoddam bonum facere sine adiutorio Dei. — Et ratio sua est: quia in his, quae facimus, quaerendum est illud, propter quod facimus. Non est autem procedere in infinitum, sed est devenire ad aliquid primum, puta ad consilium. Sic ergo bonum facio, quia consilium mihi inest ad hoc; et hoc est a Deo. — Unde dicit, quod consilium boni est ab aliquo,

quod est supra hominem, movens eum ad bene operandum; et hoc est Deus, qui et homines movet et omnia, quae agunt, ad actiones suas, sed aliter et aliter.“

„Cum enim hujusmodi motus sit quoddam receptum in moto, oportet, quod hoc fiat secundum modum suae naturae, id est, rei motae. — Ea ergo, quorum natura est, ut sint liberae voluntatis, dominium suarum actionum habentia, movet libere ad operationes suas, sicut creaturas rationales et intellectuales; alia autem non libere, sed secundum modum suae naturae. — Licet autem non simus sufficientes cogitare aliquid a nobis tamquam ex nobis; tamen habemus aliquam sufficientiam, qua scilicet bonum possimus velle et credere incipiamus; et hoc a Deo est. 1. ad Corinth. cap. 15. v. 7: *Quid habes, quod non accepisti?*“ —

2. Tria hic manifestantur ab Angelico Doctore: 1. Quaecunque dicta manent circa intrinsecam divinae gratiae efficaciam; — 2. Realitas physica divinae motionis in potentia liberi arbitrii recepta ab ipso Deo immissa; — 3. Concordia liberi arbitrii cum ipsa divinae motionis efficacia. --

Quoad primum satis iam videtur ostensum ex S. Scriptura, ex doctrina Augustini, ex Romanorum Pontificum approbatione, atque ex doctrina tam philosophica quam theologica Divi Thomae. — Si enim Angelicus Doctor lib. 2. Sent. dist. 37. q. 2. art. 2. laborat pro aris et focis ad concludendum: *Quidquid est in actu deficiente, scilicet peccato, de ratione actus et entis et boni, totum hoc a Primo Agente, scilicet Deo, procedit mediante voluntate*; quanto magis in opere bono, in actu, cui nulla adiungitur deformitas, dicendum erit iuxta documenta philosophiae christianae, quod totum procedit mediante libero voluntatis potentia a Primo Agente, quod est Deus? — Per totum operis processum ab initio usque in finem, ab intellectus apprehensione usque ad electionem et consensum, et ab electione usque ad ipsius operis externi executionem: quidquid est actus, quidquid entis, quidquid recti, quidquid boni, quidquid perfecti et ordinati: hoc totum a Deo, sed a Deo per nostras potentias operativas; a Deo, mediante intellectu et mediante voluntate. A Deo, non quidem exspectante determinationem liberi arbitrii, sed sufficienter ipsam liberam determinationem causante; a Deo, non quidem ab extrinseco et tamquam modo parallelo agente, sed intrinsece ipsam voluntatis potentiam immutante, et mediante ipsa voluntate creata, in actum liberum et bonum a nobis causatum, vehementius sua divina virtute ingrediente. — Haec est doctrina Apostoli et simul doctrina Philosophi. —

3. At si Philosophus vult, quod omnia et singula in processu boni operis, incipiendo a consilio boni, sit ab aliquo, quod sit supra hominem, scilicet a Deo movente hominem ad bene operandum; quanto magis hoc est asserendum, si loquamur de opere bono in ordine supernaturali, quod pertinet ad salutem ac meretur vitam aeternam? — Si ergo in ordine naturae non sumus sufficientes cogitare aliquid veri, nec desiderare aliquid boni a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; quomodo poterimus in ordine gratiae incipere vel perficere, nisi physice moveamur a Deo, qui omnia, quae agunt, praemovet ad actiones suas: a Deo, a quo est consilium, principium electionis, et electio, principium voluntatis in executione omnium bonorum operum?

4. In toto processu boni operis, quod pertinet ad salutem, non solum omnia sunt a Deo sicut in ordine naturae, qui est ordo generalis suae providentiae, verum etiam omnia sunt a Deo ea ratione singularissima, qua fiunt in tempore, quaecumque ab aeterno decrevit pro executione illius specialis providentiae, quae vocatur praedestinatio. — Unde Angelicus Doctor declarans illa verba Apostoli (ad Galatas cap. 1. lectio 4.): *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini*, ait: „Primo ostendit causam efficientem suae conversionis, secundo finem, tertio modum.“

„Circa primum notat causam suae conversionis, quae duplex est, scilicet beneplacitum Dei, quod est divina electio, et convertentis vocatio. — Quantum ad primum dicit: *Cum autem placuit ei*, scilicet Deo; non quando volui ego, sed quando placitum fuit sibi; quia *non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*, ut dicitur ad Romanos cap. 9. v. 16 . . . . Quantum autem ad aliam causam dicit: *Et vocavit per gratiam suam*. Est autem duplex vocatio. Una est exterior, et sic dicit: vocavit me coelesti voce. Act. cap. 9. v. 4: *Saule, Saule, quid me persequeris? . . . . Vade in civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*. Sic etiam alios apostolos vocavit. — Alia est interior; et sic vocavit per quemdam instinctum interiorum, quo Deus per gratiam tangit cor, ut convertatur ad ipsum; et sic vocavit a mala via in bonum; et hoc per gratiam suam, non nostris meritis. Ad Rom. cap. 8. v. 30: *Quos praedestinavit, hos vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit*.“

„Finis autem conversionis ponitur, cum dicitur: *Ut revelaret Filium suum in me*: qui quidem finis est Christus. — Ordinatur autem conversio sua ad Christum dupliciter, scilicet facto, et sic

dicitur: *Ut revelaret Filium suum*, id est in eo, quod circa me fecit, convertendo me et dimittendo peccata mihi, revelaret, quanta sit mihi facta misericordia . . . Sic ergo revelavit in eius conversione Filium suum; et hoc in quantum Filius dicitur gratia Dei . . . . Item revelavit eum in eius operatione . . . Et hoc in quantum Filius virtus est Dei.“

„Modus autem suae conversionis est perfectus; et quantum ad affectum, unde dicitur: *Continuo non aquievi carni et sanguini*; id est statim ita perfecte fui conversus, quod omnis carnalis affectus recessit a me . . . . Item quantum ad intellectum; quia ita fuit instructus a Christo, quod non fuit ei necesse instrui ab apostolis.“ —

5. Conversio S. Pauli exemplar est mirificum intrinsecae efficaciae, qua Deus per suam gratiam tangit cor hominum, et physice transmutando a malo in bonum vertit illud, quocumque vult, et quomodo vult, et quando vult. — Omnis conversio, qua homo iustificatur, est transmutatio de statu iniustitiae ad statum iustitiae. Transmutatur siquidem essentia animae per infusionem gratiae sanctificantis; transmutatur intellectus per infusionem fidei; transmutatur et voluntas per infusionem spei et charitatis. Totus homo transmutatur, expolians se veterem hominem cum actibus suis, et induens novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum; et recreatus in iustitia et sanctitate veritatis, in novitate ambulat. (Ad Rom. cap. 6. v. 4; ad Eph. cap. 4. v. 24; ad Coloss. cap. 3. v. 10.) — Omnis itaque vocatio, qua Deus iustificat, quos praedestinavit, est semper per instinctum interiorem, per intrinsecum tactum cordis, per physicam voluntatis transmutationem; et omnis conversio habet sicut conversio S. Pauli eandem causam efficientem, scilicet beneplacitum Dei, quod est divina electio, et convertentis vocatio. Et non quando homo vult, quoniam **ipsum velle**, et **ipsum cogitare** ut velit, iam est effectus gratiae tangentis cor; sed quando est placitum Deo, qui operatur in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate (Philipp. cap. 2. v. 13), et vocat per gratiam suam.

6. Omnis etiam uniuscuiusque praedestinati conversio, sicut conversio S. Pauli, habet finem et habet modum. — Finem quidem; quia Deus convertendo nos et dimittendo peccata nobis, revelat, quanta sit nobis facta misericordia; et per nostram conversionem ordinamur ad gloriam Christi, cui conformes per iustificationem efficimur. — Modum autem; etenim omnis conversio, qua homo ex averso fit ad Deum conversus, ex malo bonus, ex peccatore iustus, habet modum perfectum quoad per-

fectionem substantialem, in qua non est accipere magis aut minus, et in qua pariter ostenditur in omnibus praedestinatiis efficacia divinae gratiae ex se et per se. — Quod autem supra hunc modum substantialiter perfectum reperiantur diversi modi et gradus plus vel minus perfecti, etiam provenit velut a prima causa ab ipsa Dei voluntate, qua movet plus vel minus liberum hominis arbitrium. — Utique, qui plus conatur; plus habet de gratia, plus de charitate, plus de sanctitate et iustitia, et plus appropinquat Deo; sed quod plus conetur, indiget altiori causa et vehementiori motione. Unde Divus Thomas ad Ephes. cap. 3. lectione 5.: „*Hoc, quod Deum diligimus, non est ex nobis, sed a Spiritu Sancto.*“ Hoc ergo, quod unus habeat charitatem longam, latam, sublimem et profundam, et alius non habeat, venit ex profundo divinae praedestinationis.

7. Porro: Omnia argumenta exposita supra<sup>1</sup> in Lectionibus XXV et XXVI et XXVII et XXVIII ostendunt a radice efficaciam intrinsecam divinae gratiae et aperte demonstrant doctrinam Divi Thomae, qui semper, ubique et constanter tradit, Deum, iuxta quod ei placuerit, etiam rebellem hominem, persecutorem et blasphemum, et ipso progressu peccati, statim vertere in vas electionis, in agnum mansuetum, in virum mitissimum, et in apostolum ac magistrum gentium. — A Deo quippe sunt omnia, quae mediante nostra voluntate operantur in toto processu bonae atque salutaris operationis. Unde Divus Thomas 2. ad Thessalonicens. cap. 2. lect. 3.: „*Finis electionis est salus aeterna, et ideo dicit: in salutem . . . Hoc autem fit primo ex parte Dei per gratiam sanctificantem; unde dicit: In sanctificatione spiritus. Secundo ex parte nostra est consensus liberi arbitrii per fidem, et ideo subdit: Et in fide veritatis . . .* — Petit autem pro eis exhortationem, quae est monitio ducens animum ad volendum. Et hanc potest facere homo exterius; sed non esset efficax, nisi esset interius spiritus Dei; unde dicit: *Exhortetur corda vestra, id est instiget . . . Exhortetur per gratiam, ut velimus; et confirmet, ut efficaciter velimus.*“ —

8. A Deo, inquam, omnia ac singula, quae ad operationem salutarem exspectant: sed a Deo in nobis acta vel in nobis simul et per nos. — Etenim omnia conferuntur nobis a Deo per Christum, et gratia et gloria, et credere et mereri et perseverare. — Unde Divus Thomas ad Ephes. cap. 2. lect. 2.: „*Sicut gratia nobis confertur per Christum, ita et gloria, quae est gratia consummata. . . Per ipsum enim beatificamur, per quem iustificamur.*“ — Et lect. 3.: „*Quia dixerat, quod per fidem sumus*

<sup>1</sup> In Ephemeride „*Divus Thomas*“ ser. II. vol. I.

salvati, possit quis credere, quod ipsa fides esset a nobis, et quod credere in nostro arbitrio constitutum est; et ideo hoc excludens dicit: *Et hoc non ex nobis. Non enim sufficit ad credendum liberum arbitrium, eo quod ea, quae sunt fidei, sunt supra rationem . . . Et ideo quod homo credat, hoc non potest ex se habere, nisi Deus det.* — Et 1. ad Corinth. cap. 10. lect. 3.: „*Vere fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur; gratiam, ut mereamur; constantiam, ut vincamus.*“

9. Haec autem intrinseca divinae motionis efficacia plus adhuc patebit ex dicendis:

1. de natura seu quidditate divinae motionis,
2. de diversis gradibus perfectionis divinae motionis,
3. de concordia liberi arbitrii cum divina motione.

10. Quotiescunque de natura divinae motionis determinanda agitur, sive sub nomine motionis, sive sub nomine motus designetur, non loquimur de *actione* Dei; quoniam Deus non agit per actiones formaliter transeuntes, sed per intellectum et voluntatem; et actio Dei est ipsa substantia Dei; ac proinde natura divinae motionis sic sumpta est **ipsa natura** Dei; de qua Divus Thomas per totum tractatum de **Deo Uno et Trino**.

Loquimur itaque de divina motione, prout est aliquid reale, quod ab illa divina actione derivatur ad creaturas, et quo potentiae operativae creaturarum formaliter praemoventur et sic praemotae applicantur ad actualiter operandum — Atque in hac acceptione, quidquid dicatur de physica motione creaturae rationalis, etiam venit intelligendum de gratia actuali ex se et per se efficaci; quae nihil aliud est nisi *physica praemotio*, qua homo primo transfertur a Deo de statu iniustitiae ad statum iustitiae; et qua deinde ab ipso Deo etiam movetur, ut „*gratiam percepta utatur homo, iuste vivendo, ad vitandum peccata et consequendum vitam aeternam.*“ (Div. Thom. 2. ad Corinth. cap. 6. lect. 1.)

## II.

11. Conclusio prima: — **Physica motio, et consequenter gratia efficax, est aliquid reale receptum in potentia liberi arbitrii.**

Ratio prima. — Ex supra dictis<sup>1</sup> physica motio est Dei virtus, qua Deus 1. agit immediate immediatione suppositi in ipsam potentiam liberi arbitrii; — 2. agit immediate immediatione virtutis in ipsum actum liberi arbitrii; — 3. determinat potentiam liberi arbitrii ad unum; — 4. facit creaturam rationalem velle

<sup>1</sup> Huius Annuarii vol. XVI. p. 51 sqq.

hoc vel illud; — 5. infallibiliter operatur, mediante voluntate creata, aliquem bonum effectum, seu **quidquid** in actu liberae voluntatis creatae est **τὸν actus, entis et boni**. — Manifestum est igitur, physicam motionem esse aliquid reale extra Deum, et aliquid derivatum a Dei actione ad creaturam et in potentiis operativis eiusdem receptum.

12. Ratio secunda. — Divus Thomas 1. 2. qu. 110. a. 2. ita describit naturam divinae motionis in ordine supernaturali: „*In quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum, hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae: actus enim moventis in moto est motus.*“ —

Et lib. 3. Sent. dist. 8. qu. 1. a. 5. ad 4: „Dicendum, quod omnis motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio.“

13. Ratio tertia. — Divus Thomas, loco iam citato, 2. ad Corinth. cap. 3. lectione 1., postquam asseveravit, quod Deus „homines movet et omnia, quae agunt, ad actiones suas“; addit, quod „Huiusmodi motus est quoddam receptum in moto“.

14. Conclusio secunda: **Physica motio, et proinde gratia efficax, est aliquid reale causatum a solo Deo in potentia liberi arbitrii.**

Ratio prima. — Divus Thomas de Potent. qu. 3. a. 7 ad 3.: „Dicendum, quod in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura; sed ipsa naturae operatio est etiam operatio virtutis divinae; sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis.“ — Cum igitur physica motio sit operatio, qua Deus operatur movendo naturam, movendo et voluntatem; in hac operatione non operatur voluntas nec natura. — Ergo effectus huiusmodi operationis est aliquid reale causatum a solo Deo — in potentiis operativis creaturarum.

15. Ratio secunda. — Hoc, quod efficitur per physicam motionem, constituit complementum ipsius virtutis operativae, qua creatura agit et operatur. — Complementum autem virtutis ad agendum, qua creaturae sunt praeditae, confertur ab ipso, qui creaturas primo condidit eisque vim operandi simul cum natura donavit.

16. Ratio tertia. — Physica motio est virtus, qua Deus agit immediatione suppositi in potentiam liberi arbitrii. — Et in potentiam liberi arbitrii creati nemo potest intrinsece agere, „nisi solum ille, qui solus illabatur animabus, scilicet Deus.“ — Ad Ephesios cap. 3. lect. 3.

17. Ratio quarta. — Huc spectat illud concilii Arausicani II. can. 20: „Multa Deus facit in homine bona, quae non facit



homo. Nulla vero facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo.“ —

18. Conclusio tertia: **Physica motio, et consequenter gratia efficax, est aliquid reale causatum in potentia liberi arbitrii prius prioritate naturae et causalitatis quam ipsa operatio liberae voluntatis.**

Ratio prima. — Divus Thomas lib. 3. contra gentes cap. 149.: „Motio autem moventis praecedit motum mobilis ratione et causa.“ — Et rursus: „Impossibile est, esse aliquem rectum motum in anima, quem non praevenerit actio divina: unde et Dominus dicit Joan. 15. v. 4: *Sine me nihil potestis facere.*“ —

19. Ratio secunda. — Physica motio est, qua Deus movet res ad operandum, quasi applicando formas et virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum. Deus enim non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, et applicat eas ad agendum, et est finis omnium actionum. (1. Part. qu. 105. a. 5.) — Manifestum vero est, omnem applicationem praecedere natura et causalitate operationem propriam potentiae applicatae ad operandum.

20. Ratio tertia. — Causam secundam moveri a Causa Prima, qui est Deus, **motione praevia** propriae actioni ipsius causae secundae, potest habere duplicem sensum: 1. ita ut in ipsa causa secunda praesupponatur nulla virtus propria ad agendum; et consequenter causa secunda non moveatur ex virtute propria, sed solum ob hoc praecise, quia movetur a Causa Prima; sicut baculus movet lapidem motus a manu, et solum quia movetur a manu; — 2. ita ut in ipsa causa secunda praesupponatur vera ac propria potentia operativa; et consequenter quod causa secunda moveatur ex duobus, scilicet: *virtute propria*, et quia *movetur a Causa Prima*, a qua causa secunda recepit complementum suae propriae virtutis. — Etenim motio Causae Primae est cooperativa intrinsece propriae actioni causae secundae reducendo virtutem agendi propriam ipsius de potentia in actum.

Primo enim sensu physica motio minime dicenda est praevia propriae actioni creaturae rationalis; quoniam hoc esset negare liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis. Atque hoc modo recte negat Caietanus 1. Part. qu. 19. a. 8, motionem Dei esse praeviam actioni voluntariae; non enim liberum arbitrium **movet** ob hoc praecise tantum, quia movetur a Deo, „*sicut baculus movet lapidem motus a manu*“. Unde addit: „Non enim oportet, cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, Primam Causam praevia motione cooperari; sed sufficit, et exigitur, eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi. Et hoc,

quia cooperatio in unoquoque est secundum naturam uniuscuiusque: sic enim omnia disponit suaviter.“ — Hoc est, quod Divus Thomas edocet 2. ad Corinth. cap. 3. lect. 1.: „*Cum enim huiusmodi motus sit quoddam receptum in motu, oportet quod hoc fiat secundum modum suae naturae, id est rei motae. Ea ergo, quorum natura est, ut sint liberae voluntatis, dominium suarum actionum habentia, movet libere ad operationes suas, sicut creaturas racionales et intellectuales; alia autem non libere, sed secundum modum suae naturae.*“ —

In altera vero acceptione, physica motio absolute dicenda est **praevia** propriae actioni creaturae, sive sit libera in agendo, sive non sit. — Quoniam, ut profunde simul ac dilucide ait Caietanus: „*Sic movere causae secundae provenit non ex moveri tantum, sed ex moveri et modo proprio ipsius causae secundae.*“ —

Idcirco **movere** liberi arbitrii creati provenit ex duobus: 1. ex moveri a Deo; 2. ex modo proprio et virtute propria ipsius liberi arbitrii. — Ac cum virtus propria liberi arbitrii compleatur ob hoc *praecise*, quia a Deo movetur; et operatio libera proveniat a Deo, mediante libera voluntate, quae mota movet, acta agit; ideo physica motio est revera praevia actioni propriae rei motae.

21. Ratio quarta. — Caietanus in eodem loco 1. P. qu. 19. a. 8. sic egregie ostendit mentem Angelici Doctoris circa divinum scilicet influxum in creaturas etiam liberas: „*Illa propositio adiuncta, scilicet: Causa secunda nihil agit nisi in virtute Primae, non iuvat. Quoniam non est sensus, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi Primae; sed quod ipsa secunda nullum effectum producit, nisi virtute Primae concurrente et coniungente virtutem secundae suo effectui; quoniam Prima omnia attingit immediate immediatione virtutis, ut in qu. 8. a. 1. declaratum est.*“ —

Ergo si virtus primae Causae, qui est Deus, coniungit virtutem operativam causae secundae suo effectui, absque dubio physica motio est aliquid reale causatum in potentia liberi arbitrii, prius quam ipsemet effectus sive operatio liberae voluntatis.

22. Ratio quinta. — Caietanus ibidem addit: „*Prima Causa non attingit effectum secundae causae in seipso, sed modificata operatione sua iuxta modum ipsius causae secundae. — Et propterea effectus secundae causae in nullo priori haberet necessariam habitudinem ad primam, sed solam ex se contingenter fieri habitudinem haberet. Illa enim propositio: Prima causa prius naturaliter respicit effectum quam quaecunque alia causa,*

non est sic intelligenda, quasi sit aliqua duratio naturae, in cuius primo instanti Causa Prima respiciat effectum, et in secundo causa secunda; puerilis enim hic est sensus. — Sed est intelligenda quoad independentiam et intimitatem; attingit enim Prima Causa effectum secundae et independentius et intimius quam secunda; ut patet in principio libri de *causis* prop. I., et propterea dicitur respicere prius.“ —

Unde habentur duo maxime notanda: 1. Causam Primam attingere effectum causae secundae, mediante ipsa causa secunda; attingere proinde actum liberum mediante ipsa potentia liberi arbitrii; et influxum divinae motionis recipi in re mota secundum modum suae naturae; — 2. Causam Primam attingere effectum secundae independentius et intimius quam secunda; ac proinde attingere consensum et electionem liberae voluntatis independentius et intimius quam ipsa libera hominis voluntas. — Exinde physica motio 1. intrinsece cooperatur virtuti operativae propriae creaturae rationalis; 2. virtutem propriam creaturae rationalis coniungit cum actione libera; 3. intimius et independentius attingit ipsam actionem liberam, quam rationalis creatura; 4. est prior non duratione naturae aut prioritate temporis, sed ratione et causalitate, quam **ipsum agere** causae secundae. —

23. Ratio sexta. — Caietanus 1. Part. qu. 8. a. 1. scribit: „Agens enim potest dupliciter dici immediatum, ut docetur in libro 3. contra gentes cap. 70., scilicet immediatione virtutis et immediatione suppositi. — Est autem immediatio virtutis, quando virtus agentis iungitur effectui, non mendicando talem coniunctionem ab aliqua alia virtute. Et propterea, quanto agens est superius, tanto immediatius agit immediatione virtutis; quoniam inferius agit virtute superioris, et non e converso. — Immediatio autem suppositi, est quando inter suppositum agens et effectum nullum mediat suppositum subordinatum coagens. Et propterea, quanto agens est inferius, tanto est immediatius immediatione suppositi.“ —

Iuxta hanc Divi Thomae doctrinam iam supra declaratam habetur: 1. inter effectum, qui est libere agere, consentire aut eligere, et inter potentiam liberae voluntatis, nullum mediare suppositum subordinatum coagens; ac idcirco liberum arbitrium creatum est agens immediatum immediatione suppositi. — 2. inter effectum, qui est libere agere, et inter Causam Primam, qui est Deus, mediare suppositum subordinatum coagens, quod est liberum arbitrium hominis; ac consequenter Deus est agens immediatum immediatione virtutis. —

Exinde inferuntur alia duo: 1. Virtus Dei agentis iungitur

effectui, quae est libera operatio creaturae rationalis, *non mendicando talem coniunctionem ab aliqua alia virtute.* — 2. Virtus creaturae rationalis sive voluntas creata iungitur suo effectui, quae est libera operatio, *mendicando talem coniunctionem ab aliqua alia virtute, scilicet a physica Dei praemotione.* —

Cum enim causa secunda, tam natura quam voluntas, nequeat efficere nisi per actionem, et actionem elicere non valeat, nisi *mendicando* physicam praemotionem ab ipso Deo; planum est, quod physica motio praesupponatur ad omnem actionem creaturae etiam rationalis.

24. Ratio septima. — Ad hoc pertinet illud Concilii Arausiacani II. can. 9.: „*Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostras a falsitate et iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*“

— Et canone 11: „*Nemo quidquam Domino recte voveret, nisi ab ipso acciperet, quod voveret, sicut legitur: Quae de manu tua accepimus, damus Tibi.*“ —

25. Conclusio quarta: **Physica motio, et ideo gratia efficax, est aliquid reale causatum in potentia liberi arbitrii per modum impressionis transeuntis.** —

Ratio prima. — Divus Thomas de Potent. qu. 3. a. 7. ad 7.: „*Dicendum, quod virtus naturalis, quae est in rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura.* — Sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens **esse** quoddam incompletum, per modum, quo colores sunt in aëre et virtus artis in instrumento artificis. — Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ipsa permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis esset in ea quasi quaedam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis, qua agit ad **esse**, ut instrumentum Primae causae; nisi daretur ei, quod esset universale principium; nec iterum virtuti naturali conferri potuit, ut moveret seipsam, nec ut conservaret se in esse. — Unde sicut patet, quod instrumento artificis conferri non potuit, ut operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione divina.“ —

Ita Divus Thomas. Hic tangitur fundamentum scientificum, postea declarandum, quare sit necessaria physica praemotio. Si creatura non indigeret praemoveri a Deo ad operandum, illius actio non reduceretur sicut in causam in Primum agens. Et similiter si virtus agendi collata creaturis per divinam motionem

non esset per modum transeuntis, sed inesset eis ut ipsa virtus operativa propria, cuius est complementum, per modum formae permanentis; creaturae non essent instrumentum Primae Causae in operando; nec Deus esset principium universale totius operationis.

— Hanc profundam veritatem dilucidat Divus Thomas etiam lib. 2. Sent. dist. 37. qu. 2. a. 2. et alibi pluries. At de his infra.

26. Ratio secunda. — Divus Thomas 1. 2. qu. 110. a. 2. edocet, quod „*ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae*“. — Et hoc de ratione motus est habere esse per modum transeuntis.

27. Ratio tertia. — Physica motio est, qua omnia a Deo aguntur vel naturaliter vel voluntarie. Unde effectus relictus a divina virtute in rebus motis, sive res sit naturalis sive voluntaria, nihil est aliud quam *quaedam impressio a Primo Agente; sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante*. — 1. P. qu. 103. a. 8. —

28. Conclusio quinta: **Physica motio, et a fortiori gratia efficax, est aliquid reale causatum in potentia liberi arbitrii per modum actuantis, complementis ac perficientis.**

Ratio prima. — Divus Thomas lib. 3. contra gentes cap. 66.: „*Ultimum in bonitate et perfectione inter ea, in quae potest agens secundum, est illud, in quod potest ex virtute Agentis Primi; nam complementum virtutis agentis secundi est ex virtute Agentis Primi.*“

Virtus igitur, quae per Dei motionem liberae voluntati creatae confertur, virtutem propriam ipsius voluntatis complet, coronat ac perficit.

29. Ratio secunda — Divus Thomas lib. 3. contra gentes, cap. 70.: „*In quolibet enim agente est duo considerare, scilicet rem ipsam, quae agit, et virtutem, qua agit; sicut ignis calefacit per calorem.* — Virtus autem inferioris agentis dependet a virtute superioris agentis, inquantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agenti, per quam agit, vel conservat eam, aut etiam applicat eam ad agendum; sicut artifex applicat instrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat, per quam agit instrumentum, nec conservat, sed dat ei solum motum.

— Oportet igitur, quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium; agit enim in virtute omnium; et sicut agens infimum invenitur **immediatum activum**, ita virtus Primi Agentis invenitur **immediata** ad producendum effectum. Nam virtus infimi agentis non habet, quod producat hunc effectum **ex se**, sed ex virtute superioris; et sic virtus Supremi Agentis invenitur **ex se**

productiva effectus, quasi **causa immediata**; sicut patet in principiis demonstrationum, quorum primum est immediatum. — Sicut igitur non est inconveniens, quod una actio producat ab aliquo agente et eius virtute; ita non est inconveniens, quod producat idem effectus ab inferiori agente et a Deo: ab utroque **immediate**, licet alio et alio modo.“ —

Idem ergo effectus, quod est velle, libere agere, consentire et eligere, producat ab inferiori agenti, quae est creatura rationalis et a Deo; ab utroque **immediate**; licet alio et alio modo. — Etenim creatura rationalis est immediatum activum immediatione suppositi: et Deus est immediatum activum immediatione virtutis.

Una actio, quae est consensus vel electio seu libera volitio, producat: 1. ex aliquo agente, nempe creatura rationali; 2. et ex eius virtute, scilicet potentia liberae voluntatis; quoniam in creaturis sicut esse realiter distinguitur ab essentia vel natura, sic etiam actus distinguitur ab ipsa agendi potentia.

Haec potentia agendi, quae est virtus liberi arbitrii, non habet, quod producat hunc effectum *consentiendi, volendi, eligendi, ex se*, sed habet *ex virtute* Supremi Agentis, qui est Deus. — Etenim virtus Primi Agentis invenitur *ex se productiva* effectus, quasi causa immediata immediatione virtutis.

Unde **operatio** liberae voluntatis producat ex creatura rationali, ex virtute liberi arbitrii eiusdem, et ex virtute Supremi Agentis, qui est Deus. — Virtus ergo Superioris Agentis complet et perficit virtutem, per quam agit rationalis creatura.

Insuper Divus Thomas statuit semper velut principium altissimae veritatis: „*Quanto suppositum est prius in agendo, tanto virtus eius est immediatior effectui; quia virtus Causae Primae coniungit causam secundam suo effectui.*“ — 1. Part. qu. 36. a. 9. ad 4. —

30. Ratio tertia. — Ipse Angelicus Doctor hanc differentiam inducit inter motionem moralem et motionem physicam, quibus movetur aut moveri potest liberum arbitrium creatum, videlicet quod altera est per modum persuasionis vel per modum disponentis, altera vero per modum perficientis. — Quod alia ita se habet in movendo, ut illam non semper sequatur effectus voluntatis, quod est velle aut consentire; alia autem ita se habet in movendo, ut effectus statim sequatur in voluntate ad actionem moventis. Quod alia potest convenire creaturae, alia vero non competit nisi soli Deo. — Quod alia non inducit necessitatem, infallibilitatis ad eligendum; alia autem necessitatem, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, ad eligendum semper inducit. —

„Id, quod est perficiens, . . . proprie et vere causa dicitur; quia causa est, ad quam sequitur effectus. Ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur“ . . . Solus Deus „in voluntate operatur et voluntatem inclinare potest in quodcumque voluerit.“ (De Malo qu. 3. a. 3.)

Physica ergo motio, et a fortiori gratia efficax, est aliquid reale actum a Deo in potentia liberi arbitrii, per modum actuantis atque perficientis ipsam potentiam in ordine ad suam propriam operationem.

### III.

31. Philosophus incipit lib. 3. Physicorum ostendens necessitatem investigandi **naturam** motus: „Quoniam autem, inquit, natura est principium motus et mutationis, scientia autem de natura est; oportet non ignorare, quid sit motus: necessarium enim est, ignorato ipso et ignorari naturam.“ — Pari modo, cum physica motio et gratia ex se efficax sint in potentia liberi arbitrii creati quidam motus, non est ignorandum, quid sit motus; hoc enim ignorato quidditatem divinae motionis tam in ordine naturae quam in ordine supernaturali necesse erit etiam ignorari. — Unde Divus Thomas 1. 2. qu. 110. a. 2. volens determinare, quid sit gratia actualis, qua anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum, docet, quod „*Hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animae; actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur Physicor. lib. 3.*“ — Quapropter, etsi iam quaedam circa hanc materiam maneant insinuata supra, cum de quidditate gratiae actualis actum est; quaedam alia adhuc oportet attingere, ut naturae physicae praemotionis non ignoretur, et paretur via ad plures difficultates enodandas. Erit semper Divus Thomas dux verbi ac magister, qui conditiones motus loquendo expendet.

32. Lib. 3. Physic. lect. 2.: „Convenientissime Philosophus definit motum dicens, quod motus est actus existentis in potentia, secundum quod huiusmodi.“ — „Unde neque est **potentia** existentis in potentia, neque est actus existentis in actu, sed est actus in potentia; ut per id, quod dicitur actus, designetur ordo eius ad anteriorem potentiam; et per id, quod dicitur **in potentia existentis**, designetur ordo eius ad ulteriorem actum.“ —

Ibidem lect. 3.: „Et quidem verum est, quod motus est actus; sed est actus imperfectus, medius inter potentiam et actum.“

Ibidem lect. 4.: „Quia enim motus est actus existentis in potentia, in quantum huiusmodi; existens autem in potentia, in quantum huiusmodi, est **mobile**, non autem **movens**, quia movens in quantum huiusmodi est ens in actu; sequitur, quod *motus sit*

*actus mobilis, in quantum huiusmodi.* — Manifestum est, quod „actus motus est in mobili, cum sit actus mobilis, causatus tamen in eo a movente.“ — „Idem est, quod movens agendo causat, et quod motum patiando recipit. Et hoc est, quod dicit (Philosophus), quod *movens est activum mobilis*, id est actum mobilis causat: quare oportet unum actu esse utriusque, scilicet moventis et moti. Idem enim est, quod est a movente, ut a causa agente, et quod est in moto, ut in patiente et recipiente.“ —

Ibidem lect. 5.: „De motu enim in rerum natura nihil aliud est quam actus imperfectus, qui est *inchoatio quaedam* actus perfecti in eo, quod movetur; sicut in eo, quod dealbatur, iam incipit esse aliquid albedinis.“

„Et quia positum fuit in dubitatione, *utrum motus sit actus moventis vel mobilis*, et ostensum est, quod est actus activi, ut ab hoc, et passivi, ut in hoc; ad tollendum omnem dubitationem aliquantulum notius dicamus, quod motus est *actus potentiae activi et passivi*. — Et sic etiam poterimus in particulari dicere, quod aedificatio est actus aedificatoris et aedificabilis in quantum huiusmodi; et simile est de modificatione in aliis motibus.“ —

33. Praeterea Divus Thomas lib. 11. Metaphysic. lect. 3.: „Motus non habet aliquam aliam naturam separatim a rebus aliis; sed unaquaeque forma, secundum quod est *in fieri*, est actus imperfectus, qui dicitur motus.“

Et lib. 3. Metaphysic. lect. 3.: „Motus est actus existentis in potentia, et est quodam modo medium inter potentiam et actum.“

De anima qu. unica a. 7. ad 3.: „Motus reducitur ad genus et speciem eius, ad quod terminatur motus; in quantum eadem forma est, quae ante motum est tantum in potentia; in ipso motu, medio modo inter actum et potentiam; et in termino motus, in actu completo.“ —

Lib. 4. Sent. dist. 1. qu. 1. a. 4.: „Motus autem non est ens completum, sed est in via in ens, quasi medium quid inter potentiam puram et actum purum, ut dicitur in lib. 3. Physicorum. . . . Motus, quantum ad substantiam suam, reducitur ad illud genus, in quo sunt termini motus, sicut imperfectum ad perfectum, quamvis ponatur in praedicamento passionis, secundum quod importat ordinationem moventis ad motum . . . Reducitur autem (virtus transiens in sacramentis) ad bona maxima, in quibus est gratia, quae quodam modo est complementum ipsius virtutis, quasi finis eius.“ —

34. 1. Part. qu. 85. a. 3.: „Omne, quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum.“ —



3. Part. qu. 11. a. 5.: „Medium autem inter puram potentiam et actum est habitus. Eiusdem autem generis sunt medium et extrema.“ —

De Veritate qu. 24. a. 1.: „Secunda causa non potest in actum procedere nisi per virtutem Causae primae.“ —

Lib. 2. Sent. dist. 15. qu. 1. a. 2.: „Cum omnis motus sit actus motoris et moti, oportet quod in motu relinquatur virtus motoris et virtus mobilis.“ —

Ibid. dist. 1. qu. 1. a. 4.: „Operatio Creatoris magis pertingit ad intima rei, quam operatio causarum secundarum.“ —

De Potent. qu. 3. a. 4.: „Omnes causae secundae agentes a Primo Agente habent **hoc ipsum**, quod agant.“ —

De Verit. qu. 8. a. 14.: „Motus voluntatis non habet dependentiam nec conversionem ad aliquam causam naturalem, sed solum ad Causam Divinam, quae in voluntate sola imprimere potest.“ —

35. Lib. 3. cont. gent. cap. 17.: „A Deo omnes aliae causae habent, quod sint causae in actu.“ —

1<sup>a</sup>. Part. qu. 103. a. 1. ad 3. et a. 3. ad 1.: „Motus est actus mobilis a movente: *impressio quaedam Dei dirigentis in finem*. Id, quod creaturae a Deo recipiunt, est earum natura.“ —

Et 1. Part. qu. 62. a. 3.: „*In unoquoque motu motoris intentio fertur in aliquid determinatum, ad quod intendit perducere mobile.*“ —

#### IV.

36. *Corollaria*. Primo: Physica motio, et consequenter gratia efficax, quae ultimum gradum perfectionis in physica motione exhibet, est **actus** liberi arbitrii creati existentis in potentia; sed tamen est **actus in potentia**. — Actus siquidem: quoniam est quaedam vis, quaedam energia superveniens ex ipso libero arbitrio. Attamen actus in potentia, quoniam adhuc non est actus liberi arbitrii existentis in actu.

Per hoc, quod physica motio dicitur **actus**, designatur ordo eius ad anteriorem potentiam, id est ad potentiam liberi arbitrii, cuius propriam operandi virtutem complet et magis actuat. — Per hoc autem, quod physica motio dicitur **actus in potentia**, designatur ordo eius ad ulteriorem actum, id est ad operationem productam ex virtute liberi arbitrii et ex virtute Primi Agentis sive causatam a Deo per suam motionem, mediante voluntate, in qua motio recipitur.

37. Secundo: Physica motio est 1. *quid medium* inter potentiam liberi arbitrii et ipsius operationem, quae est electio et consensus; — 2. *actus* liberi arbitrii, in quantum est **mobile**; — 3. *quid activum*, quod se habet respectu potentiae liberi

arbitrii in ratione *causae formalis*; respectu autem operationis liberi arbitrii in ratione virtutis agentis seu *causae efficientis*; — 4. *inchoatio quaedam* ipsius liberae operationis in potentia liberi arbitrii, quae a Deo movetur; sicut in eo, quod dealbatur, iam incipit esse aliquid albedinis. —

38. Tertio: Physica motio est *actus* Dei ut **activi**, et actus liberi arbitrii creati ut **passivi**; quoniam Deus movens est activum liberi arbitrii mobilis; atque idem est, quod est a Deo movente, ut a causa agente, et a libero arbitrio moto, ut in patiente et recipiente. — Deus movens **aedificat** aliquid in potentia mota, eam perficiendo; et potentia operativa mota **aedificatur**, dum incipit elongari a statu potentiali et appropinquare ad terminum motus, quod est existere in actu. —

39. Quarto: Unde potentia liberi arbitrii per physicam motionem quasi **in medio** inter potentiam puram et actum purum constituitur; ponitur **in via** ad hoc, quod existat in actu; et potentia pura, id est indifferentia privativa actus, tollitur per physicam motionem, qua actus purus, id est perfectus ac completus, **inchoatur**. — Etenim omne, quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum.

40. Quinto: Realitas sive entitas physicae praemotionis  
1. neque est ipsa potentia operativa neque est ipsa operatio; —  
2. est quodam modo medium inter potentiam et actum; — 3. participat aliquid de natura utriusque; quia eiusdem generis sunt medium et extrema; et physica praemotio est formaliter complementum virtutis operativae et inchoatio ipsius operationis; —  
4. potest igitur reduci ad naturam operationis, quia est **actus in fieri**; et potest reduci ad naturam potentiae operativae; quia est actualitas ultima terminans ac complens operativam potentiam; — 5. quoad substantiam suam seu naturam specificam reducitur ad speciem eius, ad quod terminatur motus; et sic una motio differt ab alia secundum differentiam ipsam actuum, ad quos motus terminatur. — Unde si terminus ipsius motus est eligere aut consentire aut simpliciter velle, motio potest dici diversa iuxta diversitatem electionis, consensus et simplicis volitionis. Et pariter, si terminus ipsius motus sistit in operatione ordinis naturalis, motio dicitur esse a Deo, ut auctor naturae est; si vero transcendens ordinem naturae ingreditur in ordinem supra naturam, motio dicitur esse a Deo, ut auctor est gratiae. — Et tunc physica motio, quae in anima est *motus*, denominatur effectus gratuitus vel gratia actualis.

41. Sexto: Per physicam motionem potentia liberi arbitrii accipit a Deo: 1. *ut agat*; 2. *ut libere agat*; 3. *ut bene agat*;

4. *ut supernaturaliter agat; 5. ut supernaturaliter agendo agat meritorie.*

42. Septimo: In omni operatione liberi arbitrii, quidquid in actu est **entis** et actus et boni et perfecti, a Deo movente est, et a Deo *procedit mediante potentia voluntatis*. — Et cum voluntas moveat quoque seipsam sub Dei motione, in hoc motu relinquitur tum **virtus** Dei Primi Auctoris tum virtus voluntatis et motae et seipsam moventis.

43. Octavo: Motus liberi arbitrii creati non habet dependentiam neque connexionem nisi ad Causam Divinam, quae sola potest in voluntate imprimere atque potentiam liberi arbitrii creati, quocumque voluerit, transmutando vertere. — Atque creatura rationalis non potest in actum liberum procedere nisi per **virtutem** Causae Primae; quae quidem virtus coniungit **virtutem** propriam ipsius creaturae rationalis cum actu sive operatione libera voluntatis.

44. Nono: Quotiescumque potentia liberi arbitrii creati movetur a Deo per physicam motionem, ad aliquid **unum** movetur, ad aliquid **unum determinatur**, ad aliquid **unum** fertur, et ad **aliquid unum** pervenit. — Atque creatura rationalis sic physice praemota a Deo movetur et determinatur et pervenit ad terminum motus **libere**.

Ratio primi asserti est: quia in unoquoque motu Dei motoris intentio fertur in aliquid determinatum, ad quod intendit perducere mobile.

Ratio alterius asserti est: quia id, quod creaturae a Deo recipiunt, est eorum **natura**. — Cum creatura rationalis recipit a Deo potentiam liberi arbitrii, recipit facultatem libere agendi; et cum postea recipit a Deo physicam motionem huius potentiae, recipit **actum**, qui est **complementum** facultatis libere agendi antea collatae et simul *inchoatio* ipsius liberae actionis, quam creatura rationalis actualiter agit.

45. Unde physica Dei motio habet rationem actus respectu ipsius liberae voluntatis, in quantum voluntas est potentia; et consequenter habet rationem perfectionis atque complementi potentiae voluntatis, in quantum est principium ipsius actus liberi. — Physica enim Dei motio in potentia liberae voluntatis est **motus**; et ut Divus Thomas docet lib. 8. Physic. lect. 10.: „*Ipse motus est quidam actus mobilis, in quantum movetur; sed est actus imperfectus; quia est actus eius, in quantum est adhuc in potentia.*“ —